



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

Capvt XXXVI. Miræ patientia & charitas eorum, qui ægrotis seruierunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

CAPVT XXXVI.

Mira patientia & charitas eorum, qui egrotis seruiuerunt.

Verè charitas patiens est, nec in hac, sed altera vita sperat retributionem. Quare si vera charitas est, non vultu, non verbis, non vllis rebus molestis sinit se se absterri ab altero adiuuando, *Ioannes minor Thebaus, discipulus Abbatis Ammonis, duodecim annis ipsi seni infirmanti fecit obsequium: senex tamen, cum vidisset eum laborantem, numquam illi sermonem blandum aut placitum locutus est. Cum autem de hoc mundo transiret, sedentibus alijs senibus, tenuit manus eius, & dixit ei tertio: Salueris, salueris, salueris. Et tradidit illum senibus, dicens: Ille non homo, sed Angelus est, qui tot annis mihi infirmanti seruiens, nec bonum sermonem audiens, fecit tamen obsequium cum magna patientia. Patuit ergo consilium senis, nulla verborum blanditia constantem fratris sui charitatem labefactare volentis; Neque frater ei, vt laudaretur, seruiuit; sed ad altius in cælo præmium asperxit. Quod & consecutus est. Hoc cælestis gloriæ magnetem qui trahitur, non sibi, non laudi humanæ, sed vtilitati proximi seruit, in quo seipsum, in quo suam naturam, in quo DEVM inuenit.*

I.

Heribert.
Rosveid. l. 7.
de vitis SS.
PP. cap. 19.

Diuersa vnus corporis membra inter se se vnit anima. Fides vna in Christo, vna in Christo charitas longè arctius inter se vnit Christianos. *Sicut enim in vno corpore multa mēbra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent: (ait Apostolus) ita multi vnum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra. Et alibi monet, vt non sit schisma in corpore, sed id ipsum pro inuicem sollicita sint membra. Et si quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra. Tanta igitur est, aut etiam maior conjunctio membrorum, si charitate, & fidē jungantur, quanta si vna anima iungerentur. Vnde & de primis illis Ecclesiæ membris dicitur: Multitudinis autem credentium erat cor vnum, & anima vna. Sicut ergo in vno homine, vnum membrum alteri succurrit, & auxiliatur: ita si quis alteri est charitate copulatus, cum non deserit, sed siue læto, siue tristi, tamquam mem-*

II.

Rom. 12. 4.

1. Cor. 12. 25.

Act. 4. 32.

Senec. ep.

membro suo auxiliatur. Et vel Ethnicus hoc sensit vinculum. *Qua circa homines dabimus precepta?* ait, ut parcatur sanguini humano? *quantulum est, ei non nocere, cui debeas prodesse?* Precipimus ergo, ut naufrago manum porrigat, erranti viam monstrat, cum esuriente diuidat panem, broniter humani officij formulam tradat. *Omne, quod videmus, unum est, membra sumus corporis magni. Natura nos edidit cognatos, cum ex eisdem, & in eadem gigneret. Hæc nobis amorem indidit mutuum, & sociabilis fecit. Ex illius constitutione, miserius est nocere, quam ladi. Iste versus & in pectore, & in ore sit: Homo sum, humani nihil à me alienum puto. Societas nostra lapidum fornicis similima est, quæ casura, nisi inuicem obstarent, hoc ipso sustinentur.*

III.

1. Cor. 12. 14.

Hinc fit corpus, oculi viam monstrant, pedes viam ambulant; caput imperat, manus exequuntur. *Nam & corpus non est unum membrum, sed multa. Si dixerit pes: Quoniam non sum manus, non sum de corpore: num ideo non est de corpore? Si totum corpus oculus: ubi auditus? Si totum auditus: ubi odoratus? Ita in corpore Ecclesiæ, alia membra ægra sunt, alia sana; quia autem fide, & charitate vniuntur, idcirco membra sana debent ægris succurrere, atque vnum alteri suppetias ferre; tantoque magis, quantò non solum humanitate communi, sed etiam charitate*

S. Chrysostr.,
tom. 5. lib. 3
aduers. vitu-
per. vit. mon.

Christi coniunguntur. *Idcirco Paulus fideles vocat luminaria, ex ipsa appellatione manifestans, oportere fideles ceteris quoque usui esse; & luminare, quam diu seipsam illuminat, luminare profectò non est, ait*

1. Tim. 5. 8.

Chrysostr. *Quare gentibus quoque ipsis deteriores esse ait, qui proximi salutem neglexerint, sic dicens: Si quis autem suorum, & maxime domesticorum, providentiam non gerit, fidem negauit, & infidelis deterior est. Quid autem hoc loco providentia nomine significari aestimas? an fortassis necessariorum largitionem? Equidem reor ipsum hoc nomine curam anime significare voluisse; si verò tu contentioso senseris, sic quoque sententia firmior manebit: Nam si de corpore hoc dixit, & eum, qui vilem hunc & quotidianum cibum non prabet, tantis cruciatibus addixit, & gentilibus deteriorem esse ait, quoniam tandem in loco statuemus eum, qui id, quod longè maius & dignius est, & magis necessarium? Hæc Chrysostr. Et certè non debet cogitare, se corpori soli seruire, qui ægroto necessaria ministrat, sed*

anime

animæ quoque illius multum prodest. Etsi enim æger, instar Abbatis Ammonis sileat, & duodecim annis nullo blando sermone officia illius compenset, tacitus tamen illius virtutem, sedulitatem, patientiam, charitatem admiratur, & apud se, apud Superos, tandemque etiam apud alios homines dicit: *Ille non homo, sed Angelus est, qui tot annis mihi infirmanti seruiens, nec bonum sermonem audiens fecit tamen obsequium cum magna patientia.* Atque hic primus est gradus, seruire aegrotis, sine spe humani emolumenti, soloque amore Christi.

Alter paulò est excelsior, cum horrenti naturæ, amore Christi & charitatis, vis infertur. Vulnura hiant; vlcera fœdum in modum patent; fluit purulentum tabum; erigunt vermes caput, fœtet intolerabili modo totum corpus. Est insuper metus contagionis. Libet nares occludere, auertere oculos, vestigia procul auferre. Et hinc ingens exurgit lucta. *Caro enim concupiscit aduersus spiritum: spiritus autem aduersus carnem. Hac enim sibi iniuicem aduersantur.* Audi similem luctam, & obstupesce victoriam. *Quidam frater erat minister cuiusdam Patris. Contigit autem ut vulnus fieret in corpore senis, & sanies multa ex eorum fœtore profueret. Dicebat autem cogitatio sua fratri illi, qui ei deserviebat: Recede hinc, quia non potes sustinere fœtorem putredinis istius. Illo verò frater, ut reprimeret huiusmodi cogitationem, tulit vas, & lauit vulnus senis illius, & recollectit ipsam aquam in vase, & quoties sitiebat, ex ea bibebat. Cœpit autem iterum cogitatio sua sollicitare eum, dicens: Si non vis fugere, vel non bibas fœtorem hunc. Frater autem ille laborabat, & toleranter ferebat, bibens lauaturam vulneris illius. Et cum ita ministraret seni, vidit DEVS charitatem laboris eius, & illam lauaturam vulneris in aquam mundissimam vertit, & senem inuisibili medicamento sanauit. Quanta hæc fuit sui victoria? Quanta charitas, quam nec tales aquæ extinguere potuerunt? Imitatus est hoc exemplum S. Franciscus Xauerius, cuius heroicum factum paucis versiculis inclusum dabo.*

Decubuit quidam, quem visere nemo volebat;

Tantus ab ulceribus proueniebat odor.

Horrui aspectu primo Franciscus, & ipse

Territus à lecto panè regressus erat.

C s c

IV.

Gal. 5. 17.

Heribert.
Rolvveid 15.
de vit. SS. PP.
libell. 17. c. 15.

Cant. 8. 7.

Af

Ast ubi collegit se se, vimq̄, intulit ipsē

Natura, propius constitit ante sorum.

Et saniem applicitis sugens de vulnere labris,

Hunc tibi, dicebat, Christe, propino scyphum.

Tu prior hausisti calicem. Quis p̄cla recuset,

Qua nouit Domino grata fuisse suo?

Par est utique, ut amor Christi sponsi nostri sit maior, quam fuerit amor ullius coniugis erga maritum. Ast alibi docuimus, uxorem Roberti Britanniae regis, & alteram Eduardi regis Angliae, è maritorum suorum vulneribus venenum exsuxisse. Tanta amor carnis, quantus erit spiritus? Itaque etsi non inter-

Tom. 2. de iudicijs, quae Deus exercet in hac vita. cap. 24. §. 8.

Volat. lib. 21.

Luc. 16. 28.

Matth. 11. 12.

imitanda, sed miranda ponendum sit exemplum, ulcera lambentium, more S. Catharinae; aut osculantium, ritu S. Francisci Seraphici ad fores Basilicae S. Petri, tamen inde ingens stimulus additur ijs, quos ulcerum foeditas & horror absterret, ne agris adsint, ne abstergant vulnera, aliaque officia faciant ex charitate, quae non horrent chirurgi praestare pecuniae causa. Immo quae vel canes leguntur homini praestitisse. Nam quando Lazarus jacuit ante diuitis illius januam desertus, *canes veniebant, & lingebant ulcera eius.* Tanto facilius est, o immites & barbari agrorum desertores, non petimus linguas vestras, manus admouete; & quod vobis vultis aliquando fieri, fratri vestro non negate. Arripite occasionem à Deo oblatam, & quod *Fratres misericordia* faciunt ex professione, vos facite spontanea charitate. Haec est via caelum merendi. Misericordes misericordiam consequentur. *Corpori ac naturae vestrae vim inferte. Quia regnum calorum vim patitur; & violenti rapiunt illud.*

V.

Magna est perfectio in his duobus gradibus, ut quis aegroto seruiat, sine spe emolumenti ullius temporalis; ac verò etiam omni naturae horrore superato. Longè tamen altior, & Angelis Deoque propior est gradus, non solum illis velle seruire infirmis, à quibus nullam laudem, nullum blandum verbum, nullum emolumentum temporale referas; & verò etiam à quorum p̄dore abhorreas; sed etiam, qui malum pro bono, conuicia pro benefactis reddant. Et quia ferè quotidianum est, ut morbidi etiam sint queruli & impatientes, atque molestiam, quam

quam ex inualitudine sentiunt, passim exerant, & omnia sibi displicere ostendant, quæcumque eorum curator in illorum gratiam & bonum facit; valde autem difficile est, curatorem sanum, diligentem, amantem, si videat, nihil se proficere, omnia in partem deteriore accipi ab ægrotò, non fieri vicissim impatientem, & deserere eum, à cuius ingrata mente spinosæque animo omnia beneficia tamquam maleficia accusantur: idcirco exemplum apponam, ad animandos eos, qui talibus quoque agrotis adesse coguntur, vt discant etiam ad hunc charitatis gradum aspirare, & implere illud: *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos. Benedicite maledicentibus vobis, & orate pro calumniantibus vos.* Est autem historia à Palladio, alijsque probatis Authoribus sæpius recitata his verbis.

Plures diuersis laborantes necessitatibus conuenerunt fratres ad S. Antonium, inter quos & Eulogius quidam monachus Alexandrinus, cum aliqui elephantiaci morbo cruciabatur: quos illuc propter huiusmodi causam venisse memorabat. Hic Eulogius scholasticus erat, secularibus litteris eruditus. Qui immortalitatis desiderio captus, huic mundo renuntiauerat: diuisisq; rebus suis omnibus atque dispersis, parum aliquid pecuniarum reliquerat sibi: quibus quia per se operari non poterat, uteretur. Cum igitur eum quedam animi defectio fatigaret, & neque cum multis in monasterio degere, neque solitariam vitam posset ferre patienter, reperit quemdam publicè iacentem in platea, ita inualitudine illa, quam superius dixi, impletum, vt sine pedibus & manibus videretur: cui lingua tantummodo immnis atantis cruciatibus erat, qua magis posset ab intuentibus malorum suorum remedium promereri. Cumq; eum assistens vidisset Eulogius, oratione facta ad Deum, & facta quadam cum Domino pactione, his allocutus est verbis: Domine, inquit, DEVS, in tuo nomine suscipio istum tam immani valetudine præditum, vt propter istum possim, & ipse saluari. Adsis ergo mihi Christe IESV, atq; patientiam in tali ministerio largiaris, moxq; adjacentem illum ait: Vis frater, suscipio te in domo mea, & quacumque potero ratione, sustento? Cumq; hac ille libenter amplecti, si dignaretur, se diceret; vadam ergo, inquit, & asinum, quo veharis, adducam. Cui vehementer exultans consensit agrotus. Idq; mox fecit Eulogius, & memoratum ad hospitium suum

VI.

Pallad. c. 26.
Pasch. c. 19.
n 3. & ex ijs
Heribert.
Rosvveid. l. 7.
de vit. PP.
c. 19. & lib. 8.
cap. 26.

suum sine dilatione transuexit. Per quindecim igitur annos iugicu-
 ratione, & perpetua ei sollicitudine seruiebat: per quod omne tempus &
 ille, cui tantum deferebatur obsequium, cum gratiarum actione cun-
 cta tolerabat, & Eulogij manibus, & medicamentis, cibisq; & balneis,
 prout competebat valetudini, curabatur. Post quindecim verò annos
 instinctu demonis, supra dictus agrotus immemor tot laborum Eulogij,
 tantorumq; meritorum cœpit ab eo velle discedere, multisq; iniurijs
 atq; opprobrijs increpare eum, dicens: Fugitiue, qui propriam domum
 deuorasti, furatusq; es alienam substantiam, in me occasionem salutis
 tuae reperisse te credis? Eulogius autem rogabat eum, & satisfaciens
 animo eius dicebat: Noli, mi Domine, talia loqui, sed dic potius, quid
 te contristauerim, & emendo. Elephantiosus autem cum furore d-
 cebat: Vade, nolo istas adulationes tuas; proijce me in publicum, refri-
 geratione tua non egeo. Eulogius autem: Obsecro te, inquit, placare:
 aut quid te contristauerim, venerande senex, edicito. Elephantiosus
 autem asperior in furore, dicebat ad eum: Iam fraudulentas irrisiones
 tuas non fero, adulationes, & subsannationes tuas non tolero, nec mihi
 hac arida parcaq; vita incunda est: volo carnibus saturari. Cumq; ei
 exhibitæ à viro patientissimo Eulogio carnes fuissent, cœpit iterum pro-
 clamare: Non potes, inquit, mea satisfacere voluntati, neq; tecum
 solitarius habitare praualeo: populum videre, ad publicum ire deside-
 ro. Dicit ei Eulogius: Ego adduco tibi multitudinem fratrum. Rur-
 sus ferocior ac pane blasphemus agrotus, Nec, inquit, faciem tuam videre
 volo, & adducis mihi similes tuos solius panis deuoratores: concutiensq;
 semetipsum inquieta voce clamat dicens: Hic esse nolo, ad publicum
 ire desidero. O violentia! In eum locum me proijce, unde me sustulisti.
 Tanta ergo erat eius insania, adeoq; sensus eius infirmi, quodammodo
 & mores peruerterat demon, ut & laqueo se fortè suspendisset si ma-
 nus, per quas facere hoc posset, habuisset. Ad monachos itaq; vici-
 nos pergit Eulogius, ita dicens eis: Quid faciam, quia elephantiosus iste
 penitus desperare me fecit? Dicunt ei: Quam ob causam? R. spondit eis:
 Quia dura sunt quæ conatur mihi imponere, & quid agam ignoro: pro-
 uiciamne eum? sed aliter Deo dexteræ dedi: de hoc satis vereor. Non
 proiciam eum? sed tot ac tanta iterum dierum ac noctium mala ferre
 non possum, quid de ipso igitur à me fiat, ignoro. Ad quem illi hec ver-
 bis loquuntur: dum adhuc uiuit, & superest Magnus ille, sic enim uoca-
 batur,

bat, Antonius, ascende ad eum, agrumq; navi impositum, in monasterium eius defer, expectans ibi donec speluncam suam egressu adveniat. Quem cum videris, referas ista, qua pateris, atq; ab eo consilium postulabis: quidquid tibi super hoc dixerit, facies, & eius admonitionibus acquiesces, sciens à Deo inberi tibi, quod ille præceperit. Mox igitur sermonibus fratrum libenter instructus, supradictum agrum blandis precibus superans, littorali navicula imposuit: sustulitq; de civitate per noctem, & ad discipulorum sancti Antonij habitaculum duxit. Evenit autem, ut alio die vespertinis horis superveniret illuc beatus Antonius, referente mihi Cronio, quod chlamyde ex pellibus facta indutus adveniret. Solebat autem veniens ad monasterium fratrum, vocare ex ipsis Macarium, eumq; his verbis interrogare: Venerunt, adhuc aliqui fratres? & ille venisse dicebat. De Ægypto, inquit, sunt, an de Ierosolyma? hoc autem signum ab his iusserat dari, ut quoties aliqui non satis digni colloquio ipsius venirent, advenisse Ægyptij dicerentur: quoties autem sancti quidam, & spirituales viderentur viri, venisse de Ierosolyma nuntiarentur. Tunc ergo veniens juxta consuetudinem suam, cum interrogaret, utrum Ierosolymita illic fratres essent, an Ægyptij? Respondit Macarius dicens: Ex utroque illic quosdam genere vidisse se. Cum autem dixisset illi S. Antonius: Fac illis latitiam, & sumant cibum, & unà cum eis, oratione completà, jubebantur discedere: at verò cum Ierosolymitas venisse didicisset, per totam noctem cum eis sedens, ea illis, qua salutem eorum proficerent, loquebatur. Memorata igitur nocte enim consedisse referebant, & unumquemq; ad se de his, qui conveniant, evocasse. Cumq; à nullo, qui illic Eulogius vocaretur, audisset, ipse in tenebris propria voce sua illum ter nomine vocavit. Cui cum supradictus scholasticus non responderet, putans, quòd alter aliqui Eulogius vocaretur, dicit ei rursus: Te voco Eulogi, qui ab Alexandria civitate venisti. Dicit ei Eulogius: Quid, quæso, jubes? Et Antonius: Quid, inquit, hic venisti? Respondit Eulogius dicens: Qui tibi nomen meum reuelare dignatus est, ipse etiam & adventus mei causam proculdubio reuelavit. Tunc ille, Quare, inquit, veneris? scio, sed ante omnes hos fratres ut omnes audiant, refer. Iussu igitur à magno Antonio servus Christi Eulogius, retulit ante omnes: Istam elephantiosum in platea publica reperi proiectum, cuius curam nullus hominum gerebat: & promisi Deo, ut diseraiem agri-

tudini eius quomodo possem, & ego per illum, & ille per me saluaretur. Ex quo autem pariter sumus, quintus decimus annus est, sicut & vestra sanctitati credo omnia reuelata. Quia igitur post plurimos annos, cum à me nihil mali pertulerit, varijs me procellis ac tempestatibus vexat: ob quod & ego ipsum à me proicere cogitavi: propterea ad sanctitatem tuam veni, ut quid ex hoc faciam, digneris me tuis edocere consilijs, & orationibus adiuuare. Pessimis enim motibus totus fatigor, & crucior. Cui hac tunc Antonius seuera ac iracunda voce respondit: Tu illum à te proiicias, Eulogi? sed ille eum non proicit, qui eum à se factum esse cognoscit. Proicias eum? meliorem te inueniet, & eliget Deus, qui colligat destitutum. Cumq; perterritus ad hac Eulogius verba tacuisset, relicto rursus sanctus Antonius Eulogio, cepit agrotum proprijs sermonibus verberare, & hac ad eum cum clamore maximo loqui: Elephantiose, cæno & luto horride, nec terra digne, nec celo, non desinis iniuriam Dei vociferari? Nescis quod qui ministrat tibi, Christus est? Quemadmodum ausus es contra Christum talia loqui? nam propter Christum se iste seruitio tali & obsequijs subingauit; quem & ipsum mendaci sermone laceratum reliquit. Conuersusq; verbis ad alios fratres, ad unumquemque ita, ut ratio singulorum exigebat, locutus, rursus ad Eulogium & ad agrotum redit, dicitq; eis Ne quis vestrum, o filij, quoquam se vertat, neuter ab altero separetur, sed ad cellam vestram, in qua per tantum tempus vixistis, redite in pace, omnem tristitiam deponentes. Iam nunc enim ad vos Dominus DEVS mittet: nam tentatio ista idcirco accidit vobis, quia ad finem visa ambo venistis, etiam uterq; vestrum merebitur coronari. Nihil ergo abiter feceritis, ne si forte Angelus veniens, vos in eo, quem dixi, loco inuenire non possit, utriq; coronis fraudemini. Qui cum ad cellam suam velociter redeundo redintegrata pace venissent, intra quadraginta dies prior Eulogius obiit, & post aliquot dies supradictus defecit agrotus, animo vehementer incolumis.

VII.

Hoc agro eiusque ingrato animo atque impatientia usus est DEVS, ut Eulogium ad huius vitæ perfectionem, ac dein ad caelestem coronam perduceret. Ad perfectionem autem illam, quod attinet, inuenio perfectam multis modis accipi, inquit Clemens Alexandrinus, prout is est, qui in vnaquaque virtute se gerit. Perficitur itaq; & consummatur aliquis, ut pius ac religiosus, & ut tolerans,

Clem. Alex.
lib. 4. Strom.

vans, & ut continens, & ut operarius, & ut Martyr, & ut cognitio-
 ne praeeditus. In omnibus autem simul perfectus, nescio an ullus sit, qui
 est adhuc homo, nisi solum is, qui propter nos induit hominem. Eulo-
 gius itaque, quia non sine quadam animi defectione fuit, ut
 neq; cum multis in monasterio degere, neq; solitariam vitam posses-
 sere patienter, aliam à Deo perfectionis viam oblatam accepta-
 uit; & quidem nobilissimam. Etsi enim perfectionis nomen,
 varijs soleat virtutibus tribui, à S. Spiritu, tamen maximè tribui-
 tur dilectioni Dei, proximi, & inprimis inimicorum. Siquidem
 Christus Dominus, postquam docuit, diligendos esse inimicos,
 hoc est, verbo & re illis benefaciendum, & pro illis orandum,
 mox subiecit: *Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater caelestis perfectus* Matth. 5. 48.
 est. In quo perfectus est? quia *solem suum oriri facit super bonos
 & malos: & pluit super justos & injustos.* Benefacere ijs, qui nos
 diligunt, & beneficijs praeueniunt, est aliquid: at bona pro ma-
 lis reddere, quiddam est diuinum. Quàm diu Eulogius leproso
 seruiuit grato, & gratias agenti, beneficiumque agnoscenti, li-
 beralis, munificus, misericors fuit, quod humanum est; quando
 autem impatientem, abire petentem, conuicia jacentem non
 deseruit; sed rogauit, sed veniam petijt, vbi non offendit, & mi-
 tia verba asperis, blanda furiosis reposuit, atque etiam nolenti,
 immò reluctanti, non minùs ac priùs, benefecit, consummatae
 patientiae virtutem exercuit, diuinumque quoddam opus fecit,
 constantiaque ista perfectioni suae coronidem apposuit. Etenim
 tunc vnaquaeque res dicitur perfecta, quando est cum fine suo
 coniuncta. Finis autem hominis est DEVS. Itaque perfectio sita
 est in conjunctione cum DEO, quanta quidem in hac vita obti-
 neri potest. *Qui enim adharet DEO, vnus spiritus est.* Quid au- 1. Cor. 6;
 tem melius perfectiusque potest esse, quàm ut simus vnus spiri-
 tus cum DEO? aut ei toto affectu adhæreamus? Quod tunc fit,
 quando Conditori, Redemptori, Iustificatori, & Glorificatori
 nostro, per DEI, & proximi perfectam charitatem adhæremus.
Finis enim legis Christus, & charitas est vinculum perfectionis. Quae Rom. 10. 4;
 si tanta est, ut eam etiam aqua multa, hoc est, multa tribulatio. Colos. 3. 14.
 nes extinguere non possint; nec vllae tantae esse valeant injuriae ini-
 micorum, ut nos impediunt ab inimicis diligendis, tunc perfectio
 est

est charitas perfectissima. Sicut in Christo fuit, & Stephano, quorum ille pro crucifixoribus, iste pro lapidatoribus suis oravit. Neque paruum exemplum in Eulogio Deus demonstravit omnibus, qui vel ægrotis, vel aliunde miseris, etiam ingratis, etiam querulis, etiam calumniosis, non solum patienter seruiunt, sed etiam cum læsitia mentis ministrant. Quod facere possunt, qui manent in charitate. Cum enim amoris vel charitatis propriū sit, vnire amantem rei amatæ, vt docet S. Dionysius, quò maior est charitas, eò maior est vnio; & tanta esse potest, vt nihil sit, neque tribulatio, neque angustia, neque persecutio, neque gladius, quod eam queat separare. Hinc *charitas patiens est, benigna est*; etiam si alter fremat, etiam si manibus pedibusque reluctetur; etiam si lingua, pugnis, & calcibus reperiatur. Vnde normam habent charitatis suæ dimeriendæ, qui quocumque demum modo cum ægrotis agunt. Si citò fatigantur, si quolibet verbo ægroti offenduntur, eumque deserere statuunt, paruo charitatis vinculo ei fuerunt astricti. Magna charitas, magnum vinculum est, & ipso firmiter nodo Gordio, quia neque gladio potest dissolui.

CAPVT XXXVII.

*Decima octava morborum causfa, vt per eos naturalium remedi-
diorum, & medicorum potentia à Deo data in-
clarescat.*

I.



Inter eos, qui ægrotis maximè succurrunt, sunt & Medici, quorum & ars, & officium eò tendit, vt conseruent, aut reparent sanitatem. Sunt autem hi illis longè eminentiores. Hi venam explorant, vultum considerant, morbi initia, progressum, causfam indagant, postea salutaribus herbis, & succis remedium adhibent. Illi infirmum leuant dumtaxat, ei lectum componunt, cibum, potum, pharmacum afferunt, & Christo ipsi hæc fecisse dicuntur. Quòd si igitur rudium seruorum charitas, apud Deum tam est pretiosa; quanti erit docta charitas medicorum? Nam hic præcipuus debet eorum esse finis; et si spes lucri temporalis, artisque & laboris merces comitetur. *Dat Galenus opus, Apud Hieroclem, Scholasticus quidam*

S. Dionys.
Arcopag. lib.
de diu. nom.
cap. 4.

Rom. 8. 35.
1. Cor. 13. 4.

S. Thom. 3. P.
q. 89. art. 4.